



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 3. In quibus causis deferri possit juramentum voluntarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

mento voluntario, quantumvis falso, id, super quo conventum est, non retractari. Nam quoad hoc extat duplex exceptio; prima est, si quis juravit de legato, vel fidei commissio sibi præstando ex testamento, & juramentum deprehenditur falsum; cujus ratio non est utcunque, ne impium lucrum capiat ex delicto suo, suppositâ conventionem cum deferente juramentum *merè conditionatâ*; hæres enim non potest præsumi in tali casu velle contravenire voluntati Testatoris; conveniendò absolute, ut rem alter sibi habeat, esto falso juret; nam hoc non competit hæredi: ex quo liquet, aliud esse in casu, quò quis *in resua*, & independenter à voluntate alterius, cedit, si pars juramentum delatum præstet.

2113. Altera exceptio est, ut non acquiescatur juramento deposito ab uno litigantium, ab altero sibi delato; quando ex conventionem admittitur juramentum deferentis contra juramentum ejus, cui ab hoc delatum est; tunc enim posterior causa jurisjurandi potior est, ut dicitur *L. in duobus. 28. ff. b. t. §. fin.* ibi: *cum ex hac parte jusjurandum, & actionem, & exceptionem inducat, si forte reus extrajudicium, actore inferente, juraverit, se dare non oportere, & Actor, reo deferente, dare sibi oportere, vel contra: posterior causa jurisjurandi potior habebitur, nec tamen præjudicium perjurio alterius fiat: quia non quæretur, an dare eum oportet? sed, an actor juraverit?* ubi gloss. lit. 9. Jassone, ultimo, inquit, juramento stari oportet; ultimum enim primo derogat.

§. 3.

In quibus causis deferri possit juramentum voluntarium.

2114. Ad hoc aliquid dictum est superius n. 2101. ex c. fin. b. t. clarius tamen ad hoc respondetur *L. ait Prætor. 3. ff. b. t. §. 1.* ibi: *quacunque autem actione quis conveniatur, si iuraverit, proficiet ei jusiurandum: sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive penali actione; vel quavis alia agatur: sive de interdicto.*

2115. Ex hoc sequitur, juramentum litis de-

cisivum, & voluntarium; deferri posse in qualibet causa *civili*, quando *civiliter* agitur ad *proprium* interesse; non autem, si actione *populari*, nimirum ad interesse *plurium*; etiam si agatur actionibus famosis; seu infamantibus. Tres partes habet hæc sequela. 1. probatur ex *cit. L. ait Prætor. §. 1.* ibi: *quacunque autem actione* &c. quod etiam colligitur ex §. 2. ibi: *Sed etsi de conditione personæ fuerit juratum, Prætor jusiurandum tuebitur*, ut puta, detuli jusiurandum, & jurasti, in potestate mea te non esse: tuendum erit jusiurandum. 2. etiam probatur: quia unus ex Actoribus; ubi actio *popularis* est, sine aliorum consensu, cæteris præjudicare non potest: ratio 3. partis est ex dictis; cum allatis ibid. exceptionibus; quod tamen intellige de illis actionibus famosis; quæ intentantur solum *civiliter*.

Sequitur. 2. dictum juramentum deferri posse etiam in casu, quo agitur de crimine famoso *criminaliter*, sed solum tunc, quando alias in tali causa transigere licet; ratio sumitur ex eo; quia delatio juramenti voluntarii habet speciem transactionis; saltem ad hunc effectum, ut Actor præstito juramento repellendus sit, prout diximus n. 2102. ergo in iis causis etiam famosis concessum est parti deferre juramentum voluntarium; in quibus super iisdem conceditur transactio; de quibus egimus lib. 1. tit. 36. de Transact.

Quamvis autem communiter dicatur, in quacunque causa, ubi *civiliter* agitur, posse parti à parte deferri juramentum voluntarium tam intra, quam extrajudicium; advertendum tamen: 1. juramentum extrajudiciale non necessario referri; juxta dicta *num. 2110.* advert. 2. tametsi regulariter juramento litis decisivo stetur; etiam voluntario, postquam ab eo, cui delatum erat, emissum est; licet deinde falsum deprehendatur; nec propterea retractari debeat ex dict. à *numer. 2111.* hoc tamen in duobus casibus limitari; ut in iis non procedat; propter dicta à *n. 2112.*

§. IV.